

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Sebastiani Castellionis Sacrorum Dialogorum Libri  
Quatuor, Quos Postremo Ipse Recognovit: Argumenta  
Singulis Dialogis Praeposuit, Et Sententias Sublicit ...**

**Châteillon, Sébastien**

**Francofurti, 1761**

**VD18 12886300**

Jacobvs Profvgvs.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-18303**

dio servies fratri. Veruntamen erit tempus illud, cum vicissim vinces, excutiesque jugum ejus de collo tuo. *E.* Non procul abest luctus a patre meo: Nam certum est mihi, interficere Jacobum fratrem.

## SENTENTIA.

*Properandum est, & arripienda occasio. Sero plorat Esavus! Sero venitur ad colligendum Mana- na post ortum solem, aut die Sabbathi: Sero affe- runtur falces post messem, cum jam nihil superest nisi spicilegium: Sero pulsant fores fatuae virgines; Sero conabuntur intrare pigri per portam jam clausam.*

JACOBVS PROFVGVS. Genes. 29.

## ARGVMENTVM.

Jacobi profugi congressio cum Rachele  
sobrina sua.

*Jacobus, Pastores, Rachel.*

Fratres, unde estis? *P.* Ex <sup>a)</sup> Haran. *J.* Ec- quid nostis Labanem, filium Nachoris? *P.* Maxime. *J.* Valetne? *P.* Valet: atque ecce tibi Rachelem filiam ejus huc venientem cum pecudibus. *J.* Hem, diei multum adhuc est, nec dum tempus est cogendi pecoris, quin adaquatis pecudes, deinde ituri pastum. *P.* Non possuimus, donec convenerint omnes greges, quo avolavimus saxum ab ore putei, atque ita adaquemus.

B 3

*J.* Sed

<sup>a)</sup> Urbs *Mesopotamia*, olim etiam *Carrhæ*, hodie *Haren* dicta.



22 DIALOG. SACRORUM

J. Sed venit Rachel agens pecus. b) Quid cesso  
avolvere saxum, ut hauriam ei aquam, atque hanc  
primam ab ea ineam gratiam? O mea Rachel,  
amplectere me! R. Abstine tu manum, quis tu  
es? J. Ego sum Jacobus patruelis tuus, filius  
Rebecca. Non contineo lachrymas præ gaudio.  
R. O felicem adventum! Sed ego cesso ire in  
urbem: ut nunciem hæc meo patri.

SENTENTIA.

Gaudent mutuo congressu consanguinei. Sunt  
autem pii omnes inter se divina consanguinitate  
conjuncti.

LABAN. Genef. 31.

ARGUMENTVM.

Laban fugientem Jacobum assequutus,  
cum eo jurgatur. Deinde fit inter eos  
fœdus.

Laban, Jacobus, Rachel.

Quæ ratio impulit te, ut inscio me abduceres  
meas filias, tanquam ferro partas? Cur  
clam & nesciente me aufugisti, neque fecisti me  
certiorem, ut prosequerer te voluptate carminum,  
tympanorum, cithararum? neque permisisti mi-  
hi, ut oscularer meos <sup>a)</sup> natos & natas? Stulte  
sane fecisti. Et erat mihi in manu, nocere vo-  
bis. b) Sed Deus vester patrius heri monuit me,  
ut caverem, ne te offenderem ulla re. Verum  
est;

b) Quos amamus, is libenter benefacimus.

a) Natos vocat nepotes more Hebraico.

b) Deus iustos monet, ne noceant justis.